Ao – c. 41.

DE VARIIS MERCVRIVM SVBLIMATVM CORROSIVVM MITIGANDI ET MERCVRIVM DVLCEM PARANDI MODIS HVIVSQVE GENVINI NOTIS

DISSERTATIO MEDICA

QVAM

ANNVENTE

ILLVSTRI MEDICORVM ORDINE

IN

ACADEMIA GEORGIA AVGVSTA

PRO

SVMMIS IN VTRAQVE MEDICINA HONORIBVS

ADIPISCENDIS

DIE IV. APRILIS A. MDCCXCI.

PVBLICE DEFENDET

ANTONIVS de HOYA

DAMMIA-GVESTPHALVS.

GOETTINGAE,

TYPIS HENN. MART. GRAPE, ACAD. TYPOGR.

GLASGOW UNIVERSITY LIBRARY

GLASGOW
UNIVERSITY
LIBRARY:

§. 1.

Cognita quidem jam inter Arabum Medicos fuit maxima mercurii ſublimati corroſivi efficacia; verum nota quoque & deteſtata virulenta illius potentia, adeo ut nefas ducerent, uſum ejus internum aut commendare, aut in aegris ipſorum curae concreditis tentare; qui illorum ſequebantur exemplum aliarum gentium medici odio, quo ferebantur illi in hanc ex argento vivo paratam medicinam, ſimiliter ardentes, praeſtantiſſimum pharmacum neglexere penitus, donec poſterioribus demum ſeculis, nova chemiae artique ſalutari affulgente luce ſibi perſuaderent, venenum non niſi gradu efficacitatis diſcrepare a medicamento & mutata partium inter ſe ratione, additamentis variis, artificiis aliis commutari alterum in alterum poſſe.

§. 2.

Facile enim erat videre, ea ſpecie, qua primum ex igne prodit, mercurium corroſivum ſublimatum, niſi ex-

GLASGOW UNIVERSITY LIBRARY

tremo vitae periculo exponere aegrum temere velit medicus, exhiberi nequaquam, ne parciſſima quidem doſi, poſſe. Formam ejus igitur mutare, ſummam, qua vires ſuas exſerit, vehementiam infringere anniſi ſunt medici; aliis atque aliis arduum hunc laborem alia atque alia via ſuſcipientibus.

§. 3.

Fuerunt jam exeunte ſuperiori ſeculo, qui in eo acquieſcebant, ut exilem mercurii ſublimati portionem largiſſimo aquae communis rivo dilutam ac temperatam, aegris venerea lue infectis per guttas ſorbendam exhiberent; aliis, tutius utique, remedii poſt hanc quoque ſolutionem periculoſi tetram acrimoniam mucilaginoſorum additamento demulcentibus atque involventibus; ita Ill. Hoffmann (v. Jacobi methodus mercurium ſublimatum tutius exhibendi. Monaſt. 1774. 8.) tot meritis de re medica clarus, cum panis mica aequabiliter ſubigendam, & in boli vel pilularum majorem formam redigendam praecepit. Clar. autem Vogler (Pharmaca ſelecta obſervationibus clinicis comprobata. Wetzlar. 1788. 8. p. 73.) cum ſucco liquiritiae in tenuiſſimum pulverem contuſo, & ſpeciebus, quas vocant medici, diatragacanthae, ut tamen ſemina oleoſa, quae alias reci-

piunt

piunt, excludantur, aequabiliſſime miſcendam & in pilularum (appellat alterantes,) ſpeciem conformandam ſuadet mercurii ſublimati corroſivi ope aquae ſimplicis factam ſolutionem.

§. 4.

Verum enim vero, etſi aqua acrimoniae virulentae, ſi quidem ſalinae indolis ſit, hebetandae mirifice conducat, hac tamen dote ob phlogiſti, qua ſcatet, copiam multum praecellit vini ſpiritus, cujus ope peragendam mercurii ſublimati corroſivi ſolutionem ea de cauſſa, duce praeceptore, immortali Boerhaave (v. Elem. Chem. Tom. 2. p. 488.) juſſerunt viri Illuſtriſſimi van Swieten (Comment. in Boerhaavii aphoriſm. de cognoſc. & curand. morbis T. 5. p. 548.) & Sanchetz (v. memoir. de la Societ. royal. de medec. à Par. ad ann. 1779.), quorum clariſſimorum virorum auctoritate perinde ac comprobata medicamenti ipſius ſumma efficacia tantopere invaluit ejus uſus, ut non a medicis ſolum plurimis commendaretur, ſed in omnia fere Europae cultioris pharmacopolia (exempla ſint pharmacia Caſſellana, pharmacopoea Suecica, Edinburgenſis & pauperum Edinburgenſis), titulo ſpiritus mercurialis Swietenii, mixturae mineralis, ſolutionis mercurialis, reciperetur, aliis ſpiritum

 frumenti,

frumenti, aliis ſpiritum vini gallicum, aut, quem vocant, rectificatum, aut adeo rectificatiſſimum, aqua quadam diſtillata temperatum adhibentibus, aliis ſimplicem ſolutionem praebentibus, aliis grati potiſſimum ſaporis cauſſa ſyrupum quendam e. g. ſyrupum de althaea, emulſivum, aut citri intermiſcentibus.

§. 5.

Quum nociva mercurii ſublimati corroſivi acrimonia in ſalis communis acido fortiſſimo cum argento vivo arctiſſime conjuncto potiſſimum (partem enim acrimoniae ex eo deducendam eſſe, quod argentum vivum, dum acidum, quo ſolvitur, ſubit, phlogiſti ſui partem exuat, aut principii acidifici partem ſibi ſumat, nuperius non ſine magna veri ſpecie demonſtrare tentavit Clar. Bertholet (v. apud Cl. Crell chemiſche Annalen ad an. 1786. Faſc. 6. p. 550. &c.) lateat, in eo poſuerunt multi mercurii ſublimati corroſivi mitigationem, ſive, quam appellare geſtiunt, dulcificationem, quod, adhibito eum in finem ſale lixivioſo, quod fortius trahit acidum, quam quodcunque metallum, alteram acidi, argento vivo infixi, portionem ſubtraherent, alteram, eamque minimam, in ſalem neutrum convertendo, inſontem redderent: Fuerunt itaque, qui

limpidae

limpidae mercurii corroſivi per aquam paratae ſolutioni ſenſim inſtillarunt tartari, uti quidem audit, oleum per deliquium, donec nullas amplius nubes excitaret, & ſedimentum ex luteo fuſcum in fundo collectum elotum atque exſiccatum aſſervarunt: Medici Britanni, cum Londinenſes (v. new diſpenſatory. London. 8. 1762. p. 520.), tum Edinburgenſes (v. pharmacop. Edinburgenſ. ed. Baldingeri p. 102.) eundem in finem utebantur ſale lixivioſo volatili, plurimi mercurii ſublimati corroſivi & ſalis armoniaci aequalem copiam inter ſe miſcendo, aqua ſimplici ſimul ſolvendo, & liquori, peracta ſolutione, infundendo tamdiu, donec claritatem non amplius turbaret, tartari oleum per deliquium, & pulverem album in fundum vaſis dejectum, defuſo qui ſupra natabat, latice limpido, eluendo atque exſiccando; vocabant mercurium praecipitatum album, nonnulli ut a cognomine alia medicina paulo acriore diſcernerent, mercurium praecipitatum album dulcem, quem recentius Edinburgenſes breviori via, mercurium ſublimatum corroſivum album aqua ſimplici ſolvendo, & per ſpiritum ſalis ammoniaci praecipitando, ceteroquin eadem ratione procedendo, parari jubent.

§. 6.

Alii (inter primos, qui ejus mentionem injiciunt, referendi ſunt QUERCETANUS tetrad. graviſſ. cap. affect. p. 459. qui panchymagagon & panaceam nuncupat, BEGUIN, qui tyrocin. chemic. l. 2. c. 18. p. 335. Draconem mitigatum, & OSW. CROLLIUS, qui mercurii dulcis (Baſilica chymica auct. a J. HARTMANNO edit. a J. MICHAELIS & G. E. HARTMANNO. Lipſ. 1634. 4. p. 213.) nomine adhuc uſitato inſignit in eo potius auxilium quaeſivere, ut argenti vivi, metallicam faciem nondum exuti, novam portionem exactiſſime interterendo, & ſublimatione ſubſequente arctius adhuc combinando partis minus acris copiam adeo augerent, pernicioſum acidi dominium adeo deprimerent, ut labore feliciter & ſcrupuloſe peracto mercurius ſublimatus aqua vel fervidiſſima diſſolvi non amplius poſſet a).

§. 7.

a) Sunt, qui AUSONII jam tempore innotuiſſe ex epigramm. ejus Xmo colligunt:

Toxica zelotypo dedit uxor moecha marito:
Nec ſatis ad mortem credidit eſſe datum.
Miſcuit argenti lethalia pondera vivi,
Cogeret ut celerem vis geminata necem
Dividat haec ſi quis, faciunt diſcreta venenum,
Antidotum ſumet, qui ſociata bibit.

§. 7.

Neque tamen, qui hujus remedii praeparationem pharmacopoeis injunxerunt, eandem utriusque materiae, ex qua conflatur, inter ſe rationem, eundem miſcendi, & acres particulas, abſoluta ſublimatione utplurimum adhuc intertextas, ſegregandi modum praeſcripſere. Placuit aliis, e. g. Beguino, addere praeter argentum vivum & mercurium ſublimatum corroſivum adhuc pauxillum vitrioli viridis exuſti, aliis ſal commune decrepitatione exſiccatum.

§. 8.

Alii aequalem utriusque copiam trituratione jungi praecipiunt, uti v. g. Ludovici pharmac. modern. ſecul. applicat. p. 176. Wedel diſſ. de mercurio dulci p. 16. Rosenstengel inſtit. chemico-pharmaceutic. p. 800. Medici Wirtembergenſes pharmac. Wirtemb. 1754. p. 106. ut hanc aquilam albam, hanc mannam metallorum, hoc corallinum album, hunc mercurium ſublimatum purgantem, quibus quippe nominibus ab aliis atque aliis condecoratum fuit hoc remedium, ſibi comparent; plurimi e. gr. Crollius l. c. Medici Londinenſes v. ap. Culpeper Pharmacop. Londinenſ. Lond. 1654. p. 34. Staphorst offic. chymic. Londinenſis. Hamburg.

Hamburg. 1686. p. 32. & New diſpenſatory London 1765. p. 518. Lemery cours de chymie p. 240. Loesecke Materia medica Ed. 6ta p. 122. Hagen Lehrbuch der Apothekerkunſt 3te Ausg. 1786. p. 694. quatuor partibus mercurii ſublimati corroſivi tres argenti vivi miſceri jubent, medici Caſſellani pharmac. rational. edit. a Ph. I. Piderit Caſſel 1782. p. 208. ſex illius cum quinque hujus, alii (v. Loesecke l. c. p. 285. ſedecim illius cum novem hujus combinari voluut.

§. 9.

Plurimi has materias tritura tamdiu continuata, donec omnes argenti vivi globuli evaneſcant, & cum mercurio ſublimato in pulverem aequabilem coeant, antequam ſublimatio peragatur, conjungi ſuadent; ut argentum vivum tanto facilius ſubeat mercurium ſublimatum, alii hunc, antequam addatur, calefaciunt, alii multo minori cum periculo eodemque cum effectu, dum tritura illa perficitur, aut vini ſpiritum, aut quemadmodum Medic. Wirtembergenſes l. m. c. & Bailleau apud Clar. Crell Chemiſch. Journ. 5. p. 138. aquam adſpergi ſubinde mixturae conſulunt, eo artificio ſimul impedientes, quo minus pulvis ſubtiliſſimus mercurii ſublimati ſurgere, & nares, labia aliaque obvias partes acri-

monia

monia ſua laedere poſſit. Solus, quantum quidem nobis conſtat, Clar. Hagen l. c. ſola ſuperfuſione argenti vivi acquieſcit, & quum ſancte aſſeveret, ſua ipſius patrisque diuturna experientia teſte, ne minimum quidem detrimentum inde pati mercurium dulcem, hoc laboris compendium memorando, haud mediocres ſane meretur pharmacopoeorum gratias.

§. 10.

At ne ſcrupuloſiſſimo quidem artifici unquam contigit, prima jam ſublimatione mercurium dulcem impetrare, qui interno uſu jam tutus ſatis ſit; vix enim ac ne vix quidem primo hoc labore ad eum perfectionis gradum evehi poteſt, ut omnia truculenti veneni ſpicula obtundantur, nihilque argenti vivi a ſublimato mercurio iterum ſecedat. Mercurius igitur dulcis hoc pacto obtentus ſemper aliquid ſecum conjunctum ſervat, quod indole ſua ad mercurium ſublimatum corroſivum accedit, a quo liberari ulteriore labore debet.

§. 11.

Quamobrem Zwoelfferus mantiſſ. ſpagyric. p. 352. & Wedelius l. c. p. 19. quum noxium, quod huic mercurio dulci adhuc inhaeret, aqua & ſpiritu vini diſſolvi queat,

mercurium dulcem ſupra lapidem porphyrium ſubtiliter tritum aqua calida ablui & exſiccari aut ſpiritum vini inde abſtrahi jubent; nunc mannam mercurii ſalutat ZWOELFERUS. Alii autem eandem ſublimationem adhuc ſemel, quemadmodum medici Caſſellani (l. c. p. 209.) & Wirtembergenſes (l. c. p. 107.) ac ROSENSTENGEL (l. c.), aut bis, quemadmodum medici Londinenſes (l. c. p. 518.) & Clar. HAGEN (l. c. p. 693.) vel ſine ullo additamento, quemadmodum CROLLIUS, LEMERY (ll. cc.) & medici Sueci (pharmac. Suecic. Lipſ. & Alton. 1776. 8. p. 73.) vel, melius omnino, intertrita eadem cum circumſpectione ante ſingulas ſublimationes nova argenti vivi portione, quae duodecimam (ita medici Caſſellani l. c.) vel decimam ſextam (ita LOESECKE l. c. p. 285.) primae portionis partem aequat, repetendam eſſe putant.

§. 12.

At ne altera & tertia quidem ſublimatione, etſi ea cum cautela, ut tum quod poſt ſingulas ſublimationes in fundo remanet, tum levior illa & magis floccoſa materies ignis vi in ſummum vitri faſtigium acta ſollicite ſeparetur, omnis veneni ſuperſtitis metus averti poteſt: Quare mercurium dulcem, ter quamvis ſublimatum in tenerrimum pulverem

conte-

conterendum & aqua roſacea ſaepius eluendum eſſe, auctor eſt Crollius (l. c. p. 214.) lavari aqua fontana jubent Medici Wirtembergenſes, (l. c.), aqua calida zur Mühlen (Diſpenſat. Monaſter. 1749. p. 65.), Wedelius (l. c. p. 19.), & Baume' (Chymie experimentale & raiſonnée 2. p. 423); poſterior tamen facilius peragi iſtud negotium poſſe aqua fervida, cujus libra ſalis ammoniaci drachmam diſſolutam continet (p. 428); eadem etiam ſalis ammoniaci (ſumunt ratione mercurii dulcis partem octavam) in aquae fontanae, quae ſufficit, copia ſolutione depurari mercurium dulcem imperant medici Caſſellani (l. c. p. 209.), Clar. Goettling. (Almanach für Scheidekünſtler ad ann. 1783. p. 72.) & Sande & Hahnemann (Kennzeichen der Güte und Verfaelſchung der Arzneymittel. Dresd. 1781. p. 248). Aqua calcis recenti & forti, tamdiu donec mercurius eum in finem in pollen comminutus colorem ex atro cinereum induat, mercurium dulcem (requirit ejus drachma aquae uncias octodecim) ſuo forſan adhuc libero acido privant, ſicque mercurium, quem vocant, praecipitatum dulcem vel cinereum adipiſcuntur, nonnulli recentiores medici (v. Clar. Heyer apud Ill. Baldinger n. Magaz. f. Aerzte Vol. 9. faſc. 6. 1787. p. 564).

§. 13.

Multi tamen tertia ſublimatione nondum contenti, atque artificia, relictae forte in mercurio dulci acrimoniae obtundendae ab aliis adhibita, aut ſpernentes aut negligentes, quartam (ita v. e. Londinenſes new Diſpenſatory p. 518.), quintam (ita iidem l. m. c.), ſextam (audit nunc aliis calomel ſive calomelas, aliis panacea mercurialis), decimam quartam & adeo decimam ſextam (nunc demum alii nomine calomel inſigniunt) ſublimationem praſcribunt; aliis poſt ſextam (ita Lemery & medici Londinenſes (ll. cc.) aut nonam (ita Loesecke (l. c. p. 287.) & Baume (l. c. p. 430.) ſublimationem mercurio dulci in tenerrimum pollen comminato quatuor portiones ſpiritus vini adſundendo, leni calori exponendo, vas ſaepius agitando, quindecim vel viginti circiter diebus elapſis vini ſpiritum aut defundendo, aut, impoſito cucurbitae atque agglutinato alembico deſtillando, & relictum in fundo pulverem ſiccando, panaceam mercurii aut mercurialem fabricantibus.

§. 14.

At ſpiritum vini ad mitigandum mercurium dulcem cetera rite paratum ſupervacaneum eſſe monuit jam editor libri: new

diſpen-

diſpenſatory (p. 520.) & de repetitis toties ſublimationibus idem fere judicium tulit ſui temporis in hoc foro judex quam maxime competens WEDELIUS (l. c. p. 19.), tum ideo, quod primae ſublimationes religioſe inſtitutae, ſi praeſertim (§. 12.) elotio per aquam facta ſuperaccedat, mercurium dulcem largiantur & tuto efficacem, & ſatis potentem; tum ideo, quod ultra certum terminum argentum vivum intrudi mercurio ſublimato corroſivo nequeat.

§. 15.

Sed fac etiam intrudi poſſe, quid inde emolumenti emerget? Nonne tanto argenti vivi ſuapte inertis ſuperpondio non exſtinguetur quidem, verum tantopere imminuetur ſalutaris mercurii dulcis virtus, ut ad eundem effectum producendum nunc tanto majore ejus pondere opus ſit, quam mercurii dulcis bis tantummodo vel ter, debita vero cum cura ſublimati?

§. 16.

Docent autem exacta pericula, a. B. BAUME' (l. c. p. 430.) enarrata, tantum abeſſe, ut iteratis ſublimationibus mitior fiat mercurius dulcis ut potius ſecedente in ſingulis ſublimationibus argenti vivi portione, niſi nova ſemper ad-

jiciatur argenti vivi portio, propius repetito hoc labore ad mercurium ſublimatum corroſivum accedat, & denique omnem ejus acrem indolem recuperet.

§. 17.

Quae cum ita ſint, quum mercurius ſublimatus corroſivus, quem pauciſſimi pharmacopoei ſibi ipſi parant, ſed ab hominibus, qui in praeparanda iſtiusmodi medicamentorum magna copia victum lucrumque quaerunt, ſibi comparant, pro alio atque alio magis vel minus exacto parandi modo partium, ex quibus conflatur, inter ſe ratione variet, & arſenico adulteratus interdum occurrat, quum difficultates, in labore ipſo obviae multos pharmacopoeos deterreant, ut remedium tanti momenti ipſi conficiant, & (v. Girtanner Abh. über die vener. Krankh. p. 374.) permoveant, ut pariter ab iis, apud quas magna copia veneunt ejusmodi medicinae, adulteratum nonnunquam arſenico, ſibi emant, multum profecto de re medica meruere illi, qui faciliorem & tutiorem viam monſtrarunt, qua obtineri mercurius dulcis omnis labis expers poteſt.

§. 18.

Quum enim lenior mercurii dulcis efficacia prae aliis ex argento vivo & ſalis culinaris acido conflatis medi-

medicinis in minori acidi ad metallum ratione praecipue poſita ſit, ulteriore examine utique dignum erat, an non alia faciliori, humida praeſertim, via eadem inter ſe ratione argentum vivum & ſalis communis acidum conjungi queant.

§. 19.

Ex mercurio praecipitato albo, qui ſi veterum in modum paretur, pariter ex argento vivo & ſalis culinaris acido conſtat, hujus tamen multo minorem copiam continet, quam mercurius ſublimatus corroſivus albus, ſollicite eloto & ſublimationis vi in altum acto, mercurium dulcem prodire, vulgari nequaquam inferiorem, ſuo tempore jam notavit Lemery (l. c. p. 258,) recentius confirmavit Desaive (Eſprit des journaux Jan. 1774. & Journal encyclopédique ann. 1779. Tom. 5. P. 1. p. 126. &c).

§. 20.

Sola praecipitatione, & ſine ulla ſublimatione mercurium dulcem parare nuperius docuit B. Scheele (apud Crell neueſte Entdeckungen in der Chemie P. 6. p. 160. & ſqq.); & hic quidem eſt, quem praeſcripſit, procedendi modus. Immitte argenti vivi & probae ejusque depuratae aquae fortis, utriusque libram dimidiam, cucurbitae vitreae in collum longum termi-

terminatae, & charta epiſtomii ad inſtar occluſae, pone in balneo arenae calidae, elapſis primis horis auge ignem ita, ut proximus ſit liquor calori bullienti, hunc ignis gradum ſerva per tres vel quatuor horas continuas, cucurbitam ſaepius agitando, ultimo horae quadrante eo usque auge ignem, ut fortiter bulliat; hanc ſolutionem adhuc fervidam adfunde ſenſim & ſub perpetua agitatione ſolutioni ſalis culinaris, ex ejus unciis quatuor cum dimidia & aquae libris ſex vel octo compoſitae, in olla vitrea bullienti; ut primum ſedimentum penitus fundum petiit, clarum laticem defunde, ejus loco aquam fervidam infunde, aliquo temporis ſpatio elapſo iterum decanta, illudque negotium toties repete, donec aqua omne ſapore orba defundi queat; ſedimentum autem ipſum in chartam griſeam conjectum leni calore exſicca.

§. 21.

Quamvis negari non poſſit, hoc etiam modo argentum vivum cum acido ſalis connubium ſubire, &, quum ejus per aquam fortem facta ſolutio ſit plus quam ſaturata ea ſubire circiter ratione, quae in mercurio dulci ad normam veterum parato obtinet, ſi leges, a Scheelio praeſcriptas

ſcriptas religioſe ſequatur pharmacopoeus; metus tamen, quo minus has ſemper ſequatur, ſane haud injuſtus eſt, metus igitur, quo minus portio mercurii dulcis indolem mercurii corroſivi adipiſcatur, Clar. Goettlingii (practiſche Vortheile und Verbeſſerungen verſchiedener Operationen für Apotheker. 2te Aufl. 1789. p. 171.) quoque periculo, qui mercurium dulcem hoc pacto acquiſitum ab aqua calcis, quamvis & recenti & copioſa, non nigreſcere, ſed cinereum modo nanciſci colorem animadvertit, confirmatus, & huic, & Clar. Hagenio (v. l. c. p. 697.) & aliis obſtitit, quo minus ſibi perſuaderent, hoc conſilium Viri aliis de chemica & pharmaceutica meritis clariſſimi, quamvis ſuffragio Clar. Scherf (Verſuch eines Apothekerbuchs für Landſtaedte Gotha 1782. p. 343.) & medicorum Wirtembergenſium (pharmacop. Wirtemberg. 1786. fol.) condecoratum, pharmacopoeis tanquam optimum commendarent.

§. 22.

Huic tamen mercurii dulcis, modo mox recenſito confecti labi mederi pharmacopoeus poteſt artificiis jam ſupra (§. 12.) commemoratis, quae certe, ſi rite adhibeantur, nocivum omne ex mercurio dulci tollunt aut obtun-

dunt, vel ſuperaccedente ſublimatione, quam Expertiſs. Viri Heyer (apud Clar. Crell. chem. Annal. 1784. faſc. 8. p. 109.) & Goettling (l. c. p. 171.) medicis & pharmacopoeis de ſalute aegrorum ſollicitis commendant.

§. 23.

Timendum tamen ſemper erit, ne multos pharmacopoeos minus exercitatos & induſtrios difficultates illae in methodo a Scheelio praeſcripta obviae deterreant a labore, quo mercurium dulcem ſibi comparant; hinc brevior ille facilior & minus pretioſus modus, quem aſſentientibus Viris Clariſſimis Moenchio (ſyſtematiſche Lehre von den Arzneymitteln. Marb. 1789. 8. p. 253.) Dollfuss (pharmaceutiſch-chemiſche Erfahrungen. Leipz. 1787. p. 7.) & Goettling (l. c. p. 176. & Almanach für Scheidekünſtler &c. ad ann. 1789. p. 53.) ante aliquot annos publici juris fecit Celeberrimus Hermbstaedt (Verſuche und Beobachtung. Berl. 8. Vol. 2. 1789. p. 101. ſqq. & apud Ill. Selle Neue Beytraege zur Natur- und Arzneywiſſenſchaft P. 3. p. 61.), praeferendus omnino erit omnibus hactenus eundem in finem adhibitis.

§. 24.

§. 24.

Haec autem eſt norma, quam Cl. HERMSTAEDT praecepit: "Immitte vaſi vitreo retorto argenti vivi uncias quatuor, ſuperaffunde eandem copiam olei, quod vulgo vocant, vitrioli (cujus pondus ſpecificum ratione aquae = 1500 : 1000. aut majus), vaſi retorto in balneo arenae poſito agglutina vas recipiens, focum inſtrue, auctoque igne eo usque perge, donec omnis humor in vas excipiens tranſierit, &, quod ſupereſt in fundo, in maſſam albam ſiccam converſum ſit; huic in mortario vitreo comminutae ſenſim intermiſce ſalis culinaris decrepitatione exſiccati uncias quatuor cum dimidia, & donec omnes globuli evanuerint, argenti vivi uncias duas cum dimidia; hanc miſcelam vaſi, in quo ſublimationem peragere animus eſt, ingere, & materiam aucto ſenſim igne in ſublime actam, argenti vivi globulis ſat conſpicuis adhuc refertam, denuo contritam, altera vice ignis vi ſublima.„

§. 25.

Cum hac Cl. HERMSTAEDTII methodo multum congruit illa, quam Viri Celeb. STRUVE, BONZ & BENTLY (v. DEMACHY Laborant im Groſſen, überſezt von HAHNEMANN Leipz. 1784. 8. Vol. 2. p. 155. 156.) commendarunt; in

eo tamen diſcrepant, quod loco maſſae a coctione argenti vivi cum oleo vitrioli reſiduae, quam mercurium corroſivum largiri potius, quam dulcem, contendit Cl. Struve, recipiant turbith minerale. Commiſcuerunt igitur duo poſteriores cum turbith minerali, ex coctis cum aequali copia olei vitrioli argenti vivi unciis duabus ope praecipitationis impetrato, adhuc madido, in mortario vitreo, uſque dum omnes globuli oculum nudum fugerent, primo argenti vivi recentis unciam, tum exacte pariter ſalis communis decrepitatione exſiccati uncias duas cum drachmis ſex, qua miſcela ſimili ratione, quae in prioribus jam dicta eſt, ſemel igni expoſita, obtinuerunt mercurii dulcis optimae notae uncias tres cum drachmis duabus.

§. 26.

Multum accedit quoque modus, quem Batavi illi, qui medicamenta mercurialia magna copia parant, teſte Demachy (l. c. Vol. 2. p. 155.) ſequuntur, miſcelae ſcilicet, quae illis mercurium ſublimatum corroſivum largitura foret, maiorem multo, quam quae huic fini ſufficiat, argenti vivi copiam adjiciunt, ceterum laborem eodem pacto inſtituunt.

§. 27.

§. 27.

Neque multum abludit, ſi quidem ad theoriam laboris reſpicias, ab hac recentius collaudata methodo illa, qua, etſi multo rudiori & complicata, teſte Saunders (Philoſophic. Tranſact. Vol. 79. ad ann. 1789. P. 1. p. 109.) utuntur Tibetani, ut remedium ſibi parent, quod cum prunis aut dactylis in pilulas coactum in morbis venereis adhibent: Miſcelam ſcilicet ex alumine, nitro, cinnabari & argento vivo in pulverem contuſam ollae majori immittunt, hujus fundo ita ut miſcelam illam contegat, aliam minorem inverſam caementi ope agglutinant, in majore nunc ignem inſtruunt, quem vix per integram horam ſuſtentant; quod refrigeratis vaſis ollae minoris parietibus internis adhaeret, eximunt & ad uſum ſervant.

§. 28.

Idem nempe, quod in conſueta mercurii ſublimati corroſivi fabricatione contingit, etiam hic (§. 25-27.) evenit; argentum ſcilicet vivum primum quidem vitrioli acido nubit, huic autem per ſalis communis acidum, a quo fortius trahitur, eripitur; eo tamen cum diſcrimine, quod major, quam quae ſaturando alterutri acido ſufficiat, argenti vivi copia ex altero in alterum acidum tranſeat.

§. 29.

Licet enim generaliter definiri nequeat, quae ratio ſit utriusque materiae, ex cujus connubio prodit mercurius dulcis, & hic in aliis atque aliis officinis alia atque alia via paratus multum differat, ita ut detur mercurius dulcis, qui in centum partibus, alius, qui in viginti ſex partibus; alius, qui in tredecim partibus acidi continet duas (v. STRUVE l. c. p. 156.), id tamen tam certum eſt quam quod certiſſimum, in mercurio dulci rite parato ſalinam indolem, in mercurio ſublimato corroſivo dominantem, exſtinctam eſſe, dominari e contrario metallicam, tametſi facie metallica careat mercurius dulcis. Ex his principiis facile eſt colligere notas, quibus mercurius dulcis a ſublimato corroſivo, inſons & rite paratus ab illo, qui obiter & negligenter paratus eſt, genuinus ab adulterato dignoſci poteſt.

§. 30.

Eſt ergo primo mercurius dulcis ponderoſior multo, quam ſublimatus corroſivus; quamvis, quum argenti vivi non ſemper eandem portionem contineat, pondere quoque variet; pondere nunc propius nunc minus accedit ad cinnabarin, vix inferior, ſaepius ſuperior; ſi MUSSCHENBROE-

CKIUM

CKIUM (elem. phyſ. p. 274.) conſulas, pondus ſpecificum, prodere aquae = 10000 poſito, mercurii ſublimati corroſivi albi aequat 80000, mercurii dulcis quater ſublimati 82350, ter ſublimati 98820, bis ſublimati, 123530, cinnabaris factitiae 82000, nativae 73000, ſi BRESSONII (apud CRELL Chemiſche Annal. 1788. faſc. 5. p. 440.) experimenta ſequaris, cinnabaris rubrae Almadenſis 69022, & cinnabaris fuſcae Almadenſis 102185.

§. 31.

Sapore omni caret mercurius dulcis, quum e contrario mercurius ſublimatus corroſivus ſaporem metallicum ſibi proprium acrem linguae imprimat; ſi quando mercurius, dulcis nomine venalis, guſtatus hunc ſaporem vel cominus referat, certum indicium eſt, nondum omnem cicuratam eſſe acrimoniam, ſed delitefcere adhuc aliquid, quod indolem mercurii ſublimati corroſivi prae ſe fert.

§. 32.

Mercurius dulcis prunis ardentibus pulveris forma inſperſus totus fumi albi ſpecie avolat, nullo ſingulari odore diſcernendi: Quodſi fumus hic allium redolet, arſenico adulteratum eſſe mercurium dulcem exinde colligi poteſt; hoc autem

autem nefandum veneficium illis, qui pro mancipiis nigris Anglorum, in inſulis oceani americani ſaccharum, coffeam &c. colentium medicamenta parant, vulgatiſſimum & per ſeſquiſeculum jam perpetratum fuiſſe, ſuo tempore jam conqueritur Dossie (das geöfnete Laboratorium überſ. von G. H. Koenigsdoerfer Altenb. 1760. 8. p. 198. 200.) Quodſi aliquid poſt ſe relinquit, quod ignis vi in altum agi non poteſt, conjicere ex eo licet, aut amylo, ſi, quod reſtat, carbonem referat, aut ceruſſa, ſi plumbi granum ſuperſit, adulteratum eſſe mercurium dulcem, quod quidem in eo, qui, Scheelio praeeunte, ſola praecipitatione, nulla ſuperveniente ſublimatione, conficitur, aeque contingere poteſt, quam in mercurio praecipitato albo vulgari. Haec fraus tamen certius detegitur ſcrutinio in vaſis clauſis igni violentiori expoſitis peracto; mercurius enim dulcis genuinus totus altiora petit, pauciſſimo forſan pulvere ochraceo excepto, quem in fundo relinquit.

§. 33.

Mercurius dulcis porro, ſi auro affricetur, nullam auro inurit maculam albam, quum e contrario mercurius corroſivus albus vulgaris, globulis argenti vivi minimis nondum acido arctius junctis non raro refertus, maculam talem

relinquat.

relinquat, auro ſcilicet, quod in ſuperficie contingit, cum argenti vivi, quod continet, portione in amalgamatis, ut vocant, ſpeciem coeunte (BERGMAN opuſc. phyſ. & chem. 4. p. 324. HAGEN l. c. p. 95. HERMBSTAEDT Verſuche und Beobachtungen Vol. 2. p. 111).

§. 34.

Diſtat porro mercurius dulcis a ſublimato corroſivo, ſi quidem ſublimationis ope paratus ſit, nitore, propius ad metallicum accedente, textura ex lamellis oblongis conſtante, colore minus albo, ſi ſolis radiis aliquamdiu expoſitus fuerit, nigreſcente, ſi clave ferreo aut in mortario teratur, in citrinum vergente (FERBER n. Beytr. zur Mineralgeſch. verſchied. Laender. Mietau. 8. Vol. 1. 1778. p. 353. DOSSIE l. c. p. 195. T. BERGMAN l. m. c. p. 323.) Poſt primam ſublimationem in tenebris lucere, cujus fulgoris ſub iisdem conditionibus mercurius ſublimatus corroſivus ſpargit nihil, teſtatur SCHEELE (apud BERGMAN l. m. c).

§. 35.

Neque ſalis culinaris acidum, (ALSTRÖMER apud BERGMAN l.m.c. p. 326.), neque vini ſpiritus puriſſimus (BERG-

MAN l. m. c. p. 325.), quamvis fervida, aggrediuntur mercurium dulcem, quae tamen facile ſolvunt mercurium ſublimatum corroſivum, id quod B. BERGMANUS (l. m. c. p. 297.) ſuis aliorumque collectis experimentis demonſtravit, ita ut, teſte WENZELIO (Lehre von der Verwandſchaft der Körper. Dresd. 1777. p. 435.), 240 ſpiritus bullientis partes ſufficiant ſolvendis mercurii ſublimati corroſivi partibus 212, & teſte MACQUER (Melang. de l'Academ. de Turin ad ann. 1766.) duplo majori ejus copiae ſolvendae par ſit ſpiritus, modo ſale ammoniaco ſaturetur; hoc artificium vini ſpiritui in mercurium quoque praecipitatum album efficaciam conciliat (BERGMAN l. m. c. p. 315).

§. 36.

Aqua ſale armoniaco gravida tam in mercurium ſublimatum corroſivum (MACQUER l. m. c.) quam (BERGMAN l. m. c. p. 315.) mercurium praecipitatum album tantopere efficax in mercurio dulci ſolvendo perparum aut nihil plane valet (BAUMÉ l. c. 2. p. 429.); ita ut eluendo ex mercurio dulci omni, quod aut acriorem mercurii praecipitati albi, aut acerrimam ſublimati corroſivi indolem ſequitur, mirifice conducat (v. Pharmacia rational. Caſſell. 1782. p. 209).

§. 37.

§. 37.

Neque multo plus valet in mercurio dulci diſſolvendo aqua meraca; ſive diſtillata ſumatur ſive alia: Aquam plane nihil efficere, ita ut, etſi cum mercurio dulci in tenuiſſimum pollinem contrito per integras horas bulliat, neque ſaporem ex eo nanciſcatur, neque ſalibus lixivioſis tentata (ſi quidem cum pura & diſtillata periculum captum fuerit) turbetur, aut ſedimentum dimittat, perhibent, & recte quidem, niſi ſolubilitatis terminos nimium extendere velis, multi; ut enim unicum mercurii granum diſſolvatur, teſte B. Rouelle (Memoir. de l'Acad. des ſcienc. à Paris ad ann. 1754.) opus eſt aquae bullientis unciis binis, ut igitur & examinari & depurari ab omni mercurio ſublimato corroſivo, cujus ut partes 271 ſolvantur, teſte Wenzelio (l. c. p. 444.) aquae bullientis modo 960 partibus opus eſt, aqua tepida abſque omni diſpendio poſſit.

§. 37.

Mercurium dulcem a liquoribus lixivioſis ſive volatilibus ſive fixis, & ab aqua calcis potiſſimum, ſi cum ea teratur, colorem induere ex atro cinereum, jam dudum obſervatum fuit: At hoc experimentum (Pharmac. Caſſell. p. 209.) non ſuccedit, niſi aqua calcis ſit recens, rite parata, & ſali-

GLASGOW

no calcis principio, quantum quidem poteſt, ſaturata; neque ſi ſuccedat, mercurium dulcem genuinum ab eo, qui arſenico adulteratus eſt, neque a mercurio ſublimato corroſivo eadem fraude infecto, neque a mercurio praecipitato albo diſcernit.

§. 39.

Mercurius dulcis, cuicunque corporis vivi parti applicatur, nunquam rodentes effectus exſerit, deglutitus nunquam, niſi intempeſtive & nimis larga manu ingeſtus, aut hominibus aut brutis animalibus periculoſa ſymptomata vel mortem creat: Sed mercurium dulcem ſublimato corroſivo adhuc inquinatum diriſſima illa mala, quae injuſte ab aliis mercurio dulci tributa erant, progeneraſſe, egregie oſtendit Brendelius (Opuſcul. mathemat. & medic. argument. Goetting. 4. P. 1. 1769. p. 60.); ex uſu mercurii dulcis arſenico adulterati frequentia alvi tormina & profluvia cruenta derivat Dossie (l. c. p. 199.), qui quoque (l. c. p. 190.) a granis ejus tribus deglutitis canem enectum vidit.

§. 40.

Supra (§. 32.) jam dictum eſt, quo pacto nefanda illa fraus arſenici, mercurio dulci intermiſti, detegi queat, nam

poſſe

poſſe immiſceri demonſtrare heic non vacat: Aliam adhuc viam indicat, qua manifeſtari dolus ille poteſt, Dossie (l. c. p. 199.). Jubet ſcilicet tres partes mercurii dulcis ſuſpecti cum una parte florum ſulphuris in ſubtiliſſimum pollen comminutas catillo ingeri, alio inverſo contectum, eumque catillum igne urgeri; aſcendet ſic, ſi quidem arſenico inquinatus ſit mercurius, teter ille allii aemulus odor, qui ſi non percipiatur, mercurius dulcis ab hac labe liber pronunciandus.

§. 41.

Quum praeterea arſenicum album aqua ſolvi facile poſſit, mercurius dulcis vix diſſolvatur, & ſegregari ope continuatae per horas aliquas mercurii dulcis ſuſpecti in pulverem contuſi cum aqua coctione arſenicum omne, & detegi evidentius poteſt.

§. 42.

Si igitur aqua illa (§. 41.), per filtrum a reſiduo mercurio dulci ſeparata cum aqua calcis recenti limpida & fervida confuſa, ſedimentum album lente delabens dimittat, quod exſiccatum, oleo perfuſum & carbonibus ardentibus inſperſum allii odorem ſpargit, nullum ſupereſt dubium, quin arſe-

nicum inhaeſerit mercurio dulci (v. Hahnemann über die Arſenikvergiftung. Leipz. 1786. 8. p. 230. 235. 239.), ſi autem in hoc tentamine ſedimentum flavum fundum petat, mercurio ſublimato corroſivo depravatum eſſe (v. Hahnemann l. m. c. p. 238.), conjici potius debet.

§. 43.

Quodſi, iidem aquae (§. 41.) inſtillata aqua aëre hepatico impraegnata (v. Hahnemann apud Crell chemiſch. Annal. 1788. faſc. 4. p. 302. ſqq. & Fourcroy apud Crell Beytr. zu den chem. Annal. Vol. 4. p. 222.), nubes aurantiae ſurgant, & ſedimentum ejusdem coloris ſenſim fundum petat, quod collectum & exſiccarum prunis aut ferro candenti inſperſum primo ſulphuris, tum arſenici odorem ſpirat, hoc deturpatum fuiſſe mercurium dulcem patet (v. Hahnemann über die Arſenikvergiftung &c. p. 239.).

§. 44.

Si eadem aqua (§. 41.) ſaturatae cupreae calcis in ſpiritu ſalis armoniaci cauſtico ſolutioni inſtillata ſedimentum ex viridi flavum praecipitet, quod exſiccatum & prunae vel laminnae cupreae candenti inſperſum allium redolet (v. Hahnemann l. m. c. p. 236-238.), arſenicum inhaeſiſſe mercurio dulci certum eſt.

§. 45.

§. 45.

Si calore foci ex eadem aqua (§. 41.) ſenſim expellatur humor, cryſtalli in refrigerata aqua ſubſidentes, lente vitrea curate conſiderandae & cum cryſtallis arſenici comparandae ſuſpicionem interdum confirmant: Si leni calore continuato expulſo ſenſim humore omni, quae remanet materia alba laminae cupreae candenti inſperſa huic maculam nigram inurit (Hebenstreit anthropol. forenſ. p. 328.), fumum allium redolentem eructat, & hic laminam ferream, quam contingit, alba quaſi nebula (v. Pyl Aufſäze und Beobachtungen aus der gerichtlichen Arzneykunde. Erſt. Samml. p. 68.) obducit, de labe arſenicali mercurii dulcis non amplius dubitandum erit.

Theſes.

I.

Balſamicorum in phthiſi uſus in univerſum neque laudari neque vituperari poteſt.

II.

Morbi nervoſi a ſolidorum ſtatu nimis relaxato, nimiaque irritabilitate ac ſenſibilitate a ſanguine macro tenuique atque lentore & depravatione humorum lymphaticorum ortum trahunt.

III.

Medicinae popularis ſcripta non proſunt, ſed nocent.

IV.

Rheumatiſmus & arthritis diverſi generis morbi ſunt.

V.

Infanticidii cauſae magis in legum vitiis, quam in matris animo corrupto latent.

VI.

Tendines inſenſiles omnino non ſunt.

VII.

Convulſiones ante partum vel & in partu ſectionem caeſaream aliquando requirunt.

VIII.

VIII.

In arte obſtetricia nimius inſtrumentorum uſus nocivus, omnem vero inſtrumentorum uſum interdicere, error eſt.

IX.

Neque Medicum *ſcientia chirurgica carere poſſe puto*, neque chirurgum *ſcientia medica.*

X.

Chirurgo ipſimet, dum morbus externus offertur, in humorum viſcerumque habitum, antequam in operationem ruat, ſcrutari incumbit; neque medicorum, manu non medentium, conſilio ſemper indiget.

XI.

Opium plurimis in morbis, praecipue ſpaſticis, divinum remedium eſt.

XII.

Aeque magnus eſt medicus, qui ſalutarem febrem accendere, quam qui nocivam extinguere poteſt.

XIII.

Bilis agit vi ſaponacea in cibos.

GLASGOW UNIVERSITY LIBRARY